

*De educatione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, per Commissionem effectuanda.*

A r t i c u l u s 54.

Articulus 34. Anni 1635. de educatione Militis Germani ex Arce Varasdiensi, per Commissionem jam admissam (ordinato certo alio loco, pro Annona et Munitionibus necessario) sua Majestas effectuari, ac interim omnes illorum Militum excessus cohiberi et coerceri clementer curabit.

*Coloni ultra-Colapiani in Regno Croatiae existentes, tam gratuitos Regni labores, quam Contributionem aliquam in medium Regnicolarum praestent.*

A r t i c u l u s 55.

Pro communi Confiniorum Regni conservatione, necessarium omnino censent et decernunt Regnicolae; ut Coloni quoque ultra-Colapiani in Regno Croatiae existentes, in commune Regni onus concurrere et tam gratuitos Regni labores, quam Contributionem aliquam, juxta moderatam illius Regni limitationem, in medium Regnicolarum administrare; et domini quoque ipsorum terrestres eosdem ad id, intuitu boni publici, compellere debeant ac teneantur.

§. 1. Contravenientes vero per Vadiationes et alios modos et vias, in illo Regno statuendos, sine omni litis processu compelli possint.

*De Jure et Justitia ex parte Confiniariorum in Regno Sclavoniae administranda.*

A r t i c u l u s 56.

De Jure et Justitia, ex parte Confiniariorum et Praesidiariorum in Regno Sclavoniae, administranda statuitur; ut condita superinde Decreta Commissionis Varasdiensis, in Anno Domini 1635. et signanter §. Circa excessus vero, etc. ac §. De Jurisdictione vero Militum Praesidiariorum, etc. realiter observentur et in effectum deducantur;

§. 1. Ac in gravioribus quidem Regnicolarum acquisitionibus, contra hujusmodi Confinarios movendis, semper Vice-Comes cum suis Juratis; in minoribus vero Judex Nobilium cum Vice-Judice Nobilium, per Dominos Generales, Supremos, nec non Vice-Capitaneos et alios Judices Confinarios, ac militares, in judicando, juxta leges Patriae, pro Assessoribus adhiberi debeant ac inieresse possint.

*Pro administratione Juris et Justitiae in Maritimis partibus Judices ordinantur. Nobiles et Ecclesiastici iisdem Regni Juribus fruuntur. Capitulum porro Segniense: liberam procedendi habeat facultatem.*

A r t i c u l u s 57.

Pro legitima Jurisdictione Regni et Sacrae Coronae Jurisque Patrii in Maritimis quoque partibus conservatione, statuitur ac decernitur; ut unus Vice-Comes